

uno tantum morbo laborabat; nam inpatiens libidinis fuit.
primum ab hoc distichon factum est in Ballistam latronem: 10

'monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus:
nocte die tutum carpe viator iter'.

scripsit etiam septem sive octo libros hos: Cirin Aetnam
Culicem Priapeia Catalecton Epigrammata Copam Diras.
postea ortis bellis civilibus inter Antonium et Augustum, 15
Augustus victor Cremonensium agros, quia pro Antonio
senserant, dedit militibus suis. qui cum non sufficerent, his
addidit agros Mantuanos, sublato non propter civium cul-
pam, sed propter vicinitatem Cremonensium: unde ipse in
bucolicis [9, 28]: 'Mantua vae miserae nimium vicina Cre- 20
monae'. amissis ergo agris Romam venit et usus patrocinio
Pollionis et Maecenatis solus agrum quem amiserat meruit.